



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio III. Solvuntur argumenta in contrarium adducta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

movetur ad amorem objecti ex cognitione presupposita; ergo etiam excitabitur, & movebitur ad omissionem liberam actus ex cognitione presupposita; idem enim fundamentum datur constituendi processionem, & dependentiam à priori inter cognitionem intellectus, & omissionem liberam voluntatis, atque inter eorum actus positivos; alioqui datur diversa ratio,

41. Tertio, quia voluntas impulsiva gravi tentatione ad consensum, non ei resistit per omissionem consensu absque gratia Dei speciali collata per Christum, prout supra diximus; ergo gratia Dei aliquam habet influxum in omissionem, & resistantiam; alioqui frustra desideraretur ad resistendum; sed hæc gratia specialis Dei est specialis illustratio intellectus; ergo hæc juvat voluntatem ad cohibendum consensum prohibitum; ac proinde cognitionem semper movet voluntatem ad obitendum.

42. Dicunt, omissionem procedere quidem ex cognitione, non tamen per se, & directè, sed per accidens tantum permissivè, & indirectè; siquidem cognitio solum movet directè ad affectum positivum, quia tamen ad illum non cogit voluntatem, ei finit omissionem affectus positivi. Sed contra primò, quia omisso libera per se, & directè procedit à voluntate; siquidem per se, & directè est voluntaria, & libera; ergo sic etiam procedit ex cognitione, sine qua esse non potest à voluntate; illud enim, sine quo non potest esse effectus, est principium per se requisitum ad talem effectum.

43. Secundò, quia hoc iudicium (quod mihi possibile est,) *Expedi mihi ad vitandam offensam Dei, & gehennam ignis omittere purè amorem prohibitum, per se, & directè movet voluntatem ad omissionem amoris prohibiti; siquidem per se, & directè movet ad exercitium voluntatis, quod positivè dicitur conveniens; sed positivè solum dicitur exercitium purè omissionis, & ab exercitio voluntatis per actum positivum præscindit; ergo per se, & directè movet voluntatem ad puram omissionem.*

44. Probatur major assignatæ rationis quoad secundam partem: Primò, quia, ut vidimus, cognitio intellectus potest allicere voluntatem ad omitendum; ergo etiam sic poterit illam allicere affectus simplex ipsius voluntatis. Secundò, quia auxilium speciale requisitum ad cohibendum actum peccati, ad quem gravi tentatione quis pulsatur, non solum est major illustratio intellectus, sed etiam vehementior affectus voluntatis, ut communiter explicant Theologi in materia de Auxiliis; ergo etiam affectus voluntatis est principium illam juvans ad omitendum.

45. Tertio, quia affectus simplex voluntatis, ut suppono cum Adversariis, potest movere ad exercitium positivum libertatis in actu positivo; ergo etiam ad negativum in pura omissione. Confirmatur, quia cum omnis affectus sit pondus, & inclinatio voluntatis in suum objectum, eodem modo inclinatur affectus placendi Deo in amore liberum, quo inclinatur affectus non displicendi Deo in non odium illius liberum; sed ex affectu placendi Deo movetur voluntas ad eliciendum amorem Dei; ergo etiam ex affectu non displicendi Deo poterit moveri ad non eliciendum, sive omitendum liberè odium ipsius Dei.

46. Probatur minor supra assignatæ rationis, quia omisso actus prohibiti procedens ex cognitione, & affectu motivi honesti, est conformis rationi, & legi prohibenti Dei: aliundè, ut supponimus, est ex motivo honesto, & absque ulla circumstantia vitiosa; ergo nihil ei deest, ut sit honesta, & meri-

toriam. Confirmatur primò, quia omisso procedens ex affectu finis honesti, respicit finem honestum, & ab eo honestatem desumit; siquidem ut referatur in finem honestum, & ab illo honestatem desumat, satis est, quod oriatur ex affectu finis honesti; neque enim aliter actus positivus referatur extrinsecè in finem honestum, ab eoque honestatem desumit, quàm procedendo ex affectu finis honesti; ergo pura omisso sic procedens est honesta, & meritatoria.

Confirmatur secundò, quia casu, quo iustus magnis cruciatibus urgeatur ad fidem catholicam publicè negandam, ipse autem videns offensam in Deum, ex affectu tamen non displicendi Deo, non lit fidem negare, eamque ob causam mortem subeat crudelissimam, quis negabit huiusmodi hominem maximum Deo obsequium præstitisse, & maximam laudem, ac compensationem dignum ob illam puram omissionem? ergo talis omisso fuit honesta, & meritatoria.

### SECTIO III.

#### *Solvuntur argumenta in contrarium adducta.*

**ARGUES I.** In Psal. 39. dicitur: *Declina à malo, & fac bonum: ubi Glossa: Illud, inquit, vitat culpam, scilicet divertere à malo, hoc meretur vitam, & palmam, scilicet facere bonum;* ergo non omitentes malum, sed facientes bonum meremur palmam, & vitam æternam. Respondeo Glossam ibi loqui de omissione mali præscindenti à libera, & necessaria, & ab ea, quæ habetur ex affectu honesto, & indifferenti, quæ etiam sufficit ad vitandam culpam: non autem de omissione libera mali ex motivo honesto, & supernaturali, quæ referri potest ad illud *facere bonum* virtualiter, & æquivalenter.

**ARGUES 2. D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 5. ad 1. Peccatum, ait, potest contingere, sive aliquis faciat, quod non debet, sive non faciendo, quod debet: sed meritum non potest esse, nisi aliquid faciat voluntariè, & ideo meritum non potest esse sine actu, sed peccatum potest esse sine actu. Et 2. 2. q. 79. art. 1. ad 1. Declinare à malo, ait, secundum quod ponitur pars iustitiæ, (id est virtutis) non importat negationem puram, quod est non facere malum; hoc enim non meretur palmam, sed solum vitat penam; importat autem motum voluntatis repudiantis malum, & hoc est meritum; ergo ex mente D. Thomæ videtur puram omissionem non esse meritariam.**

Respondeo cum P. Ripal. cit. num 51. D. Thomam priori loco admittere, non esse meritum absque actu positivo, quatenus ad consequentiam inde factam contra peccatum omissionis nihil intererat, ac si diceret, quamvis meritum requirat actum positivum, potest tamen sine actu positivo dari peccatum; siquidem cum meritum sit bonum, peccatum verò sit malum; malum quidem ex quocunque defectu; bonum verò non, nisi ex integra causa. Undè actum positivum, quod ad meritum necessarium arguit, tanquam *Transseat* prætermisit, & consequentiam negavit ex discrimine assignato meriti à peccato. In secundo autem loco solum asserit, meram negationem mali non esse partem virtutis, quatenus per partem virtutis intelligit actum à virtute elicicum; negatio verò non actus elicitus à virtute. Et cum dicit negationem non mereri palmam, loqui de negatione rigorosè, nec de

de carentia mali necessaria in voluntate impotente facere malum; talis enim negatio, licet possit vitare peccatum, non potest mereri palmam. Tandem actum repudiantem malum, quem desiderat, non formalem, sed virtuales, æquivalentem, & interpretativum intelligo, qualis est omisio libera voluntatis.

Argues 3. Ad omne meritum vitæ æternæ requiritur auxilium gratiæ, ut est communis doctrina Ecclesiæ, quod tribuat sufficientiam, & simpliciter posse voluntati; sed hoc non requiritur ad puram omisionem actus prohibiti; siquidem id, ad quod Concilia, & Sancti Patres requirunt huiusmodi auxilia, explicant frequenter, esse opus bonum, pietatis, seu virtutis; omisio autem non est opus, imò carentia, & defectus operis; ergo ad omisionem peccati non requiritur tale auxilium; consequenterque non est meritoria.

Respondeo negando minorem, ut patet ex supra dictis, ad non peccandum enim præcisè, & ad resistendum tentationi necessarium est auxilium gratiæ, ut diximus; non peccatur autem, & tentationi resistitur per puram omisionem; ergo ad illam necessarium est auxilium gratiæ. Ad probationem dicimus: Primò auxilium gratiæ requiri, non solum ad opera virtutis, sed etiam interdum ad non opera vitii. Secundò, omisionem liberam peccati dici opus bonum, si non formaliter, saltem virtualiter, & æquivalenter; siquidem voluntas ita se gerit, ac suam libertatem exercet per illam ex affectu virtutis, ac si revera eliceret actum virtutis; nam virtutis est non solum prosequi honestum, sed etiam per affectus simplices arcere voluntatem à turpi, quod omitendo actus turpes consequitur.

Argues 4. Si pura omisio esset meritoria, sequeretur, justum quandiu perseverat in gratia, mereri gratiam, licet nihil operetur, cum semper omitat peccatum liberè: imò in unico instanti mereri infinitam gratiam per infinitas peccatorum omisiones, quas simul liberè habet, & potest quamlibet per actum peccati contrarium depellere; sed hæc sunt valde absurda; ergo dicendum non est omisionem puram liberam esse meritoriam. Respondeo negando utramque sequelam: Primam, quia ad meritum requiritur plena advertentia, & facultas proxima ad actum oppositum peccati; hæc autem non adest homini justo in quolibet instanti, sicque non semper meretur. Non secundam à fortiori, quia ei deficit plena advertentia, & facultas proxima ad actus infinitos, quod requirebatur ad infinitum illud meritum.

Argues 5. Ad meritum requiritur voluntarium perfectum, & directum, & non sufficit imperfectum, & indirectum, sicut sufficit ad demeritum, sive peccatum; sed pura omisio non est perfectè, & directè voluntaria, licet talis sit imperfectè, & indirectè; ergo neque erit meritoria. Respondeo distinguendo majorem: requiritur voluntarium perfectum ex parte actus primi, id est, plena, & propria advertentia, & indifferentia principii; concedo majorem: ex parte actus secundi, id est, quod actus secundus sit ens perfectum, & simpliciter; nego majorem: siquidem positâ advertentiâ, & indifferentiâ ex parte principii, voluntarium etiam imperfectum, nempe pura omisio est capax præcepti negativi, & conformitatis ad legem superioris, potestque in ejus obsequium offerri: sic enim inter homines æstimantur plurimi plures omisiones, ut non exigere debitum, non vindicare offensam, & similes.

Argues 6. Voluntas purè omittens est otiosa, &

obnoxia periculo consentiendi in peccatum, si gravi tentatione pulsetur; ergo non potest per talem omisionem mereri. Respondeo negando antecedens; neque enim voluntas purè omittens est otiosa, & consensui in peccatum obnoxia; siquidem exercet suam libertatem ex motivo honesto, conformando se legi prohibenti peccatum per ipsum exercitium contradictoriè repugnans peccato.

Argues 7. Ad meritum requiritur, ut voluntas tendat in bonum propter se, aut propter finem honestum; in hoc enim distinguitur à demerito, cui sufficit tendere in malum, licet non tendat propter finem malum, sed voluntas non potest tendere in bonum propter se, sive propter finem honestum, sine actu positivo; siquidem omisio secundum se non respicit eum finem, utpotè quæ secundum se est indifferens, ut propter honestum, aut turpem finem appetatur; ergo secundum se non potest esse meritoria. Respondeo omisionem, licet non sit propter finem honestum, esse tamen ex fine honesto; siquidem voluntas actu movetur ad omitendum actum prohibitum ex cognitione finis honesti; aut etiam ex illius simplici complacentia.

Instabis: Intellectus, voluntate omittente actum prohibitum, potest simul attendere ad finem honestum, & turpem, ad quos omisio potest conducere (& sic eodem modo possunt esse simul in voluntate omittente duæ complacentiæ, altera in finem honestum, altera in turpem;) sed tunc non est, cur omisio referatur potius ad finem honestum ex cognitione finis honesti, quam ad finem turpem ex cognitione finis turpis; ergo ad referendum omisionem in finem honestum, non sufficit sola cognitio ipsius finis absque actu positivo voluntatis. Respondeo negando minorem; omisio enim actus prohibiti in eo eventu esset potius ex cognitione, & complacentiâ finis honesti, quam turpis, quia voluntas de facto non omitteret, nisi haberet cognitionem, & complacentiam finis honesti: omitteret autem, licet careret cognitione, & complacentiâ finis turpis.

Argues 8. Meritum vitæ æternæ debet esse intrinsecè supernaturale; sed pura omisio actus prohibiti talis non est; ergo neque meritoria vitæ æternæ. Respondeo negando minorem; omisio enim ut moralis, & libera est, est etiam intrinsecè supernaturalis; quia prout sic completitur motionem formalem illustrationis, & affectus intrinsecè supernaturalis, quæ constituunt libertatem voluntatis ad illam, à qua omisio ipsa redditur moralis, & libera; sicque meritoria.

Argues 9. Si omisio actus prohibiti potest esse meritoria vitæ æternæ, etiam talis esset actus virtutis acquisitæ intrinsecè naturalis; siquidem hic potest fieri auxiliis gratiæ supernaturalibus, sicut illis fit omisio intrinsecè naturalis; sed ille actus non est ita meritorius; ergo neque sic meritoria erit ista omisio. Respondeo omisionem, si connexa, & alligata sit principiis supernaturalibus, ut supra diximus, esse intrinsecè supernaturalem, ideoque meritoriam; non autem naturalem, ut supponit argumentum, sicque nihil colligit ex actu virtutis acquisitæ intrinsecè naturali ad omisionem intrinsecè supernaturalem, quam dicimus esse meritoriam.

Instabis 1. Talis omisio continetur intra vires naturæ, saltem physicas; siquidem homo, saltem physicè potest omittere viribus naturæ actum prohibitum; ergo non est supernaturalis; ac proinde neque meritoria. Respondeo dato, & concessio, quod aliqua omisio contineatur intra vires naturæ,

& sit naturalis, illam tamen, quam dicimus esse salutarem, & conducere ad vitam æternam, esse in entitate supernaturalem, & sic non contineri intra vires, etiam physicas naturæ.

61. Instabis 2. Supernaturalitas desumitur, non tam à motivo, quam à principio influente; siquidem potest actus habere motivum supernaturale, & tamen esse naturalis defectu principii supernaturalis influentis, prout diximus in *Logica tract. 6. d. 4. à num. 124.* sed nullus datur influxus in puram omissionem, cum sit purum nihil; ergo non potest esse supernaturalis; ac proinde neque meritoria. Respondeo negando minorem; datur enim influxus, saltem interpretativè, indistinctus tamen ab ipsa omissione, cum non dependeat à causa per aliquid distinctum. Et patet, quia negari non potest, dari causam efficientem interpretativam naturalem respectu talis omissionis liberæ; siquidem ommissio libera, cum sit exercitium liberum voluntatis, habet ipsam voluntatem pro principio, & causâ efficiente interpretativa; ergo etiam poterit illam habere supernaturalem, à qua talis ommissio dependet in fieri, & conservari.

62. Instabis 3. Potestas ad eliciendum liberè actum malum, est etiam simul potestas ad illum omittendum; siquidem est principium indifferens ad eliciendum, aut non eliciendum actum, aut ad eliciendum oppositum; sed talis potestas ad eliciendum liberè actum malum, est naturalis; ergo etiam naturalis erit potestas ad illum omittendum; consequenterque ommissio erit naturalis, & non meritoria. Respondeo retorquendo argumentum: Actus positivus, quo quis odio habet peccatum, procedit ab eadem potestate ad peccandum, quæ est naturalis; & tamen talis actus, prout procedit à tali potestate, ut à principio supernaturali, est supernaturalis, ut ipsi Adversarii fatentur; ergo idem similiter dicendum de purâ omissione talis peccati.

63. Addo ex hoc eodem argumento probari possibilem puram omissionem supernaturalem, & meritoriam sic: quia potestas ad eliciendum actum positivum supernaturalem, est etiam potestas ad illum non eliciendum, sive omittendum ex fine honesto; sed potestas ad eliciendum liberè actum positivum est supernaturalis, & actum, sive effectum supernaturalem producit; ergo etiam potestas ad illum omittendum erit supernaturalis, & illius omissionem supernaturalem producet; consequenterque ommissio actus boni, & supernaturalis posita ex bono, & honesto fine erit supernaturalis, & meritoria; præsertim si finis, ob quem ponitur talis ommissio, sit melior, quam actus bonus omissus.

64. Instabis 4. Talis ommissio, ut sit supernaturalis, debet supponere affectum in voluntate; sed tunc jam non est ommissio pura; siquidem jam per talem affectum est volita; nec etiam est meritoria per se ipsam, sed solum extrinsecè per talem affectum; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: debet supponere in voluntate affectum simplicem, & indeliberatum; concedo majorem: efficacem, & deliberatum; nego majorem. Neque ommissio ex tali affectu in entitate supernaturali redditur solum; imò non redditur extrinsecè meritoria; nam si talis affectus, cum fiat in nobis sine nobis, non est in se meritorius, quomodo potest reddere omissionem extrinsecè meritoriam? Imò ex hoc sequeretur, neque actum positivum, quo peccatum omittitur, esse ex se meritorium, sed talem reddi solum extrinsecè per similem affectum, quem supponit.

65. Dubium hic est: Quomam pacto libertas, honestas moralis, & supernaturalitas conveniant puræ

omissioni, ut sit meritoria? Dico 1. Libertas in actu secundo non est adæquatè intrinsecè, neque adæquatè extrinsecè puræ omissioni secundo se. Ita *P. Ripal. cit. num. 40.* Probatur 1. pars, quia eadem ommissio, quæ est libera, potuit esse necessaria, & è contrâ, ut in simili diximus de actionibus, & actibus positivis in *Log. tract. 5. d. 5. à n. 326.* ergo libertas in actu secundo non est puræ omissioni adæquatè intrinsecè, & essentialis; alioquin mutari non posset, cum essentia sint immutabiles.

66. Probatur 2. pars, quia voluntas non potest exerceri liberè in actu secundo absque actione positiva, nisi per omissionem actus, ad quam est indifferens libertas contradictionis; ergo ipsa ommissio est etiam in se libera; ac proinde ipsa libertas est illi partim intrinsecè; quatenus exercitium liberum voluntatis purè omittentis includit partim omissionem actus, partim indifferentiam principii, quibus solum exercetur libertas non agendi.

Dico 2. Honestas moralis potest esse intrinsecè omissioni liberæ, sicut est intrinsecè actui positivo. Ita *P. Ripal. cit. num. 42. & 47.* Probatur, quia sicut actus positivus liber internus dicit respectum essentialem ad motum determinatum honestum, eundem dicere potest ommissio; sed ille est intrinsecè moraliter honestus; ergo etiam hæc talis erit.

Dices: Essentia omissionis est, quod sit pura remotio; quod autem ex se habet remove, nullum respectum dicit ad aliquid amplectendum; ergo &c. Respondeo omissionem solum esse remotionem formæ negatæ; non autem motivi honesti; sicut neque sui subjecti; sed licet sit remotio formæ negatæ, potest respicere suum subjectum per modum amplexus; ergo etiam sic poterit respicere suum motivum honestum. Undè ommissio peccati non est indifferens, ita ut modò sit ex motivo honesto, modò ex turpi, & modò ex indifferenti, sed casu, quo omittitur peccatum ex motivo honesto est una ommissio; quando autem ex motivo non honesto, est alia ommissio essentialiter diversa.

Dico 3. Supernaturalitas potest etiam esse intrinsecè puræ omissioni liberæ. Ita *P. Ripal. cit. num. 47.* Probatur, quia talis ommissio dependet essentialiter à principii supernaturalibus, nempe ab illustratione, & affectione sanctâ intrinsecè supernaturali; ergo erit intrinsecè supernaturalis; siquidem intrinsecè naturale est, quod intrinsecè exigit principia supernaturalia, & solis principii naturæ existere repugnat.

Hinc est, quod ejusdem formæ, & in eodem subjecto poterunt dari diversæ omissiones in essentia ex solâ diversitate principiorum, & motivorum, ad quæ ipsæ omissiones dicunt ordinem; siquidem actus positivi interni in eadem voluntate, & respectu ejusdem objecti, possunt esse essentialiter diversi ob diversitatem principiorum, & motivorum; ergo etiam sic poterunt esse omissiones, quæ cum sint negationes, facilius multiplicantur.

70. Ex dictis colliges primò cum eodem *P. Ripal. cit. sect. 9. à num. 66.* puram omissionem actus prohibiti esse impetratoriam apud Deum, etiam quando adest præceptum actus positivi honesti repugnantis prohibito, qualis erit ommissio odii Dei, aut alterius peccati, quando adest præceptum diligendi Deum; ommissio dissensus fidei, quando datur præceptum assensus, & similes omissiones.

71. Probatur, quia licet voluntas tunc omittat actum præceptum, & tali omissione demeretur apud Deum, ommissio tamen actus prohibiti, scilicet ab omissione actus præcepti, est libera, & ex horrore

horrore, & displicentiâ malitiæ odii Dei, aut hæresis procedens, sicut posset procedere comitanter cum actu præcepto, aut cum non adesset præceptum; sed nunc talis omisio esset impetratoria apud Deum; ergo etiam nunc talis erit. Confirmatur, quia voluntas potest simul exerceri per duos actus positivos, alterum religionis impetratorum, & alterum intemperantiæ demeritorium; ergo etiam per duas omissiones liberas, alteram odii Dei impetratoriam, & alteram dilectionis præceptæ demeritorium.

Colliges secundò, casu, quo omisio libera impeteretur ab actu meritorio alicujus virtutis, responderet omisio suum meritum distinctum à merito actus imperantis. Ita P. Ripal. cit. 67. juxta sua principia de merito actus externi imperati, de quo infra. Probat, quia omisio libera procedenti ex affectu necessario honesto, & non meritorio, suum responderet meritum, & præmium, ut ipse dicit; ergo etiam procedenti ex affectu meritorio, distinctum meritum, & præmium respondebit ab actu positivo.

Colliges tertio, finem interpretativum voluntatis purè omittentis esse illum, ex cujus cognitione, & affectu voluntas omittit: ita tamen, ut ille sit finis, qui proponitur ab intellectu, ad quem conducit omisio, si sit amicus: si autem sint duo, qui proponuntur, ad quos conducit omisio, ille sit finis, quo absente, voluntas non omittet. Hæc sententia ita doctè, ingeniosè, & piè discussa à P. Ripal. (pium enim est credere, Deum, cum benignus, & misericors sit, nobis etiam remuneraturum has puras omissiones, licet in illis quasi nihil offeramus, cum ipse dixerit: *Quicumque potum dederit calicem aquæ frigide, non perdet mercedem suam*: Matt. 10. 42.) est satis probabilis, probabilior tamen contraria: Pro qua fit:

SECTIO IV.

Proponitur, & defenditur communior, & probabilior sententia.

**C**OMMUNIOR, & probabilior sententia, quam sequimur, docet ad meritum de condigno necessarium esse actum positivum; consequenterque puram omissionem non esse de condigno meritorium vitæ æternæ. Ita D. Thom. 1. 2. quest. 91. art. 5. ad 1. & 2. 2. quest. 79. art. 1. ad 2. Aristodorus. lib. 2. sum. tract. 29. cap. 2. quest. 1. ad 2. Durand. in 2. dist. 31. quest. 2. ad 2. Major. in 3. dist. 38. quest. 1. Zumel. 1. 2. quest. 114. art. 3. d. 5. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 2. num. 5. P. Vasq. 1. 2. d. 189. num. 123. P. Sal. 1. 2. tomo 2. tract. 13. d. 2. num. 140. P. Amicus tomo 3. d. 3. num. 31. P. Arriag. tomo 4. d. 53. sect. 2. P. Ruiz de Provident. d. 7. sect. 2. P. Compton. tomo 1. d. 126. sect. 7. num. 2. P. Rhodex tomo 1. d. 4. de Grat. q. 2. sect. 1. §. 1. & alii.

Probat, quia Meritum apud Deum, debet aliquo modo referri ad ejus gloriam, & honorem; siquidem Meritum in communi ratione meriti debet esse obsequium, aut commodum illius, apud quem meretur quis; sed pura omisio actus mali non refertur in obsequium, commodum, honorem, & laudem Dei; siquidem talem relationem, sive respectum non habet, neque intrinsecè, & ex se, cum ex se sit indifferens, ut bene, aut male ap-

Tomo 26

petatur; neque extrinsecè, sive ex relatione operantis, cum supponatur nullum dari actum positivum in operante; ergo &c.

Probat, quia operatio per solam puram omissionem est valde imperfecta ad tam magnum præmium, qualis est gloria, & gratia; ergo &c. Tertio, quia Meritum præmii supernaturalis, qualis est gratia, & gloria, debet esse actio honesta & supernaturalis, ad quam Deus specialiter, sive speciali auxilio concurrat; sed hoc non habet pura omisio; siquidem potest appeti propter bonum, & malum finem; haberi que absque speciali Dei concursu, & auxilio; ergo &c.

Probat, quia per meritum tendit homo in beatitudinem; sed per puram omissionem actus prohibiti non tendit in beatitudinem, sed ad summum ab illa non recedit; ergo ad meritum non sufficit pura omisio; ergo semper necessarius est aliquis actus positivus, in quo ipsum meritum fundetur. Quintò ex argumentis supra adductis contra præcedentem sententiam, ex quibus omnibus satis probata manet præsens hæc nostra.

Oppones 1. Ecclesiast. 31. laudatur vir, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; sed non transgredi, & non facere sunt omissiones; ergo hæc sunt laudabiles; consequenterque meritoria. Respondeo in eo loco laudari virum propter omissionem quidem, sed humano, & morali modo factam; hic autem modus regulariter non est modus operandi per puram omissionem, quæ ita difficilis est, ut à pluribus Doctoribus negetur, sed per omissionem, quam comitatur actus positivus voluntatis, in quo est tota ratio meriti.

Oppones 2. Duæ sunt partes justitiæ, nempe declinare à malo, & facere bonum, prout supra diximus; sed meritum respondet justitiæ, sive virtuti; ergo hæc cum ipso merito datur, non solum in operatione boni per actum positivum, sed etiam in declinatione mali per puram omissionem negativam. Respondeo cum D. Thom. locis supra cit. declinare à malo, prout est pars justitiæ, sive virtutis non importare solam puram omissionem negativam, sed etiam actum positivum voluntatis, quo malum repudiatur, & in quo datur meritum.

Oppones 3. Homo per puram omissionem actus boni præcepti potest fieri dignus poenâ æternâ apud Deum; ergo etiam per puram omissionem actus mali prohibiti poterit fieri dignus apud Deum vitâ æternâ. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia meritum, cum sit bonum, & hoc non nisi ex integra causa, debet acquiri per actum positivum: at verò demeritum, sive peccatum, cum sit malum, & malum sit ex quocumque defectu, satis est ad illud pura omisio boni præcepti; sicque plus requiritur ad meritum, cum sit bonum, quam ad demeritum, sive peccatum, cum sit malum.

Oppones 4. Omisio potest proponi voluntati sub uno tantum fine honesto, nempe non furari est bonum, quia in se est honestum; sed tunc voluntas omittendo furtum, movebitur ab illo tantum fine honesto, saltem interpretativè volito; siquidem tunc, saltem interpretativè, debet amari illa honestas ipsi omissioni intrinseca; ergo talis omisio erit laudabilis, & honesta in se; ac proinde meritoria. Respondeo primò cum aliquibus, omissionem furti semper esse eandem, idque sive cognoscatur ut utilis ad hunc finem bonum, sive ad malum; sicque nunquam ex se habere sufficientem honestatem ad rationem meriti, licet possit habere sufficientem malitiam ad rationem demeriti, sive

L I

sive